



[p. 244.]

CAPVT X.

DE

SERVITVTIBVS FEVDO
IMPOSITIS.

DISTINCTIO I.

*Inter seruitutem realem et perso-
nalem.*

Nimius amor methodi Institutionum Iu-
stinianearum. *Sam.* STRYCKIVM fortasse coëgit,
vt singulari capite materiam de seruitutibus in-
cluderet, paucis alias quaestionibus absoluen-
dam. Si enim naturam seruitutis ex iure civili
repetis, & cum ea rationem infeudationis & po-
testatem vasalli circa feudum disponendi com-
paras, habes, quae de tota hac materia in iure
feudali dici possunt. Iam ad distinctionem alle-
gatam quod attinet; ipsam eius naturam ex iure
civili notam esse pro certo pono. Usum tan-
tum illius in doctrina feudali exponere huius est
loci.

[p. 245.]

Exferit se ille intuitu quaestionis; an ser-
uitus in feudum dari possit! Etenim vna cum
praedio tam seruitutem realem, ei cohærentem,
quam personalem, a possessore illius ad dies
vitae in alieno praedio exercendam, in feudum
dari posse, extra dubium est. Sed an etiam
sine praedio? Negat hoc indistincte *Sam.*
STRYCKIVS. ¹⁾ Sed minus accurate. Potius
hic attendenda distinctio inter seruitutem rea-
lem & personalem. Seruitus enim realis iam con-

¹⁾ In exam. iur. feud. cap. VIII, qu. 27. MOEL,